UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Sacri sacerdotij defensio co[n]tra Lutheru[m]

Fisher, John

Coloniæ, 1525

VD16 F 1240

XIIII Sed ut ad scripturaru[m] exempla tandem ueniamus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-30878

Visual Library

qua re fusius in axiomate proximo dicturi sumus.

¶ Sed ut ad scripturarũ exemplaXIIII tandem ueniamus. Moses quũ nimia pressus cura prope sub ipso onere deficeret, nec sufficeret ad tanti populi gubernationẽ, iussit illi deus dicens. Congrega mihi septuaginta uiros de senioribus Israel, quos tu nosti, q; senes populi sint ac magistri, Et duces eos ad ostium tabernaculi fœderis, facieq; ibi stare tecum, ut descẽdam & loquar tibi, & auferã de spiritu tuo, tradamq; eis ut sustentent tecũ onus populi, & non tu solus graueris. Quod & factum est. Si ueteris igitur & iam antiquatæ synagogæ tãtam curam gesserit deus, ut ipsius gubernatoribus huiusmodi gratiam contulerit, quãto magis id fieri cõgruit pro ecclesia, quæ ex multitudine gentiũ collecta est, & Christi sanguine redẽpta, imo sponsa Christi iam effecta. Proculdubio quum ipsa nunc in huius mundi deserto peregrinat, neq; pauci pastores huic tantæ plebis gubernationi sufficiant, congruũ est, ut in plures ipsa curarum moles distribuatur, pariterq; dotes gratiarum ijsdem a diuino spiritu cumulatius impertiant, quo possent id muneris fructuosius exercere.

Moses constituit iudices. Numeri ij

Christus præfecit ecclesiæ prælatos.

¶ Similiter & quũ in deserto destinarit deus fœderis tabernaculum esse fabricandum, nec repertus esset quisq; peritus artifex, qui norit hoc ipsum fabrefacere, impleuit quendã nomine Beseleel filium Huri spiritu dei, eundemq; locupletauit sapientia, intelligentia, & scientia, quo possit in quouis opere excogitare, quicquid fabrefieri debuit ex auro, argento, ære, marmore, gemmis, & diuersitate lignorum, cui & socium dedit Oolial filium Achisamech ut Exodi. 35. scribit. Hoc pro tabernaculo fœderis iam abolito fecit deus, & pro CHRISTI corporis mystici tabernaculo, quod iam indies ædificatur nullos magistros tanti operis curabit constituere, neq; cõstitutos necessarijs gratiæ dotibus exornare studebit? Alienum utiq; foret istud a beneficentia dei, qui quum aliquid operis meditatur, nunquam deficit in medijs, quæ pro fine operis consequendo necessaria sunt. XV

AXIOMA QVARTVM.